

DE ADMINICULIS
QUAE SENILEM AETATEM FLORENTEM REDDANT,
EAMQUE MOLLEM ET JUCUNDAM FACIANT.

Paucis disseruit

et

Seni dignissimo

Domino

DAVIDI THEOPHILO GLANSTRÖM,

Ecclesiae Weissensteinensis et S. Annae in Esthonia Pastori meritissimo,
S. S. Theologiae Doctori, Provincialis Consistorii Ehstonici
Assessori, Dioeceseos Jervensis Praeposito,

memoriam sacri muneris per quinquaginta annos
praeclare gesti

die XIII. Jun. MDCCCXVII celebranti

ex animo gratulatus scripsit

DR. K. H. PÄSSLER,

Ecclesiae Cathedralis Revalensis Pastor Primarius et Provincialis
Consist. Ehst. Assessor.

Tartu Riikliku
Reamatu
18944

.....
Dorpati,

typis J. C. Schönmanni.

Est. A - 14967

Imprimatur.

Dorpati,
die xvii. ante Cal. Jun. MDCCCXVII.

Professor Gustavus Ewers,
Censor.

Plerosque homines tum maxime tristitia sollicitari et moerore quodam cruciari, cum senectutem obrepere, et de vita, re omnium carissima et pretiosissima se periclitari sentiunt, inter illos constat, qui, qualis esse solet senum praeterita laudantium praesentia vituperantium querela de naturae humanae mutabilitate, et quod omnia in pejus deferantur, compertum habent. *) Infractum enim longo et vario rerum discrimine corporis robur, debilitatus animi vigor, intermortua mentis alacritas, hebetata sensuum vis, quis est mortalium, quem illa non moveant, et a recta vitae huma-

*) Iterum legas, si lubet, lepidissimam omnium aetatum adumbrationem apud Horatium in arte poet. v. 158 — 174, in qua concinne etiam illud reperies de senibus dictum:

Difficilis, querulus, laudator temporis acti

Se puero, castigator, censorque minorum etc.

cui conferas senis in Plauti Menaechmis verba: Ut aetas mala merx est ergo! nam res plurimas pessimas, cum advenit, adfert.

nae contemplatione interdum avertant, etsi alii inveniantur, veluti Ennius, quos non interrupta dulcissimae atque tenacissimae vitae consuetudo ita sustinet, ut deinceps e rerum vanitate emergere, denuoque gigni videantur.

Est enim illis insita vis, ut ait Horatius, quam vitâ ipsâ promovere, eoque perducere nituntur, ut cum omnibus emolumento, tum suis ornamento perpetuo esse et velint et possint. Eorum vitam intuentes, quos vel meliori fortuna praeditos, vel proprio Marte fretos ad ultimum usque vitae halitum suis viribus uti videmus, aspernantes illud Theognides:

— Πτοιῖμαι δ' ἔσορῶν ἄνθος ὀμηλικίης

Τερπιδὸν ὁμῶς καὶ καλὸν, ἐπεὶ πλεον ὄφελεν εἶναι.

facile eo ducimur, quo pervenire lubet, disputationi nimirum hoc tempore, ni fallor, multis consentaneae de adminiculis et subsidiis, quae senilem aetatem florentem reddant eamque mollem et jucundam faciant. Quatuor sunt, quibus haec disputatio nitatur atque concludatur, causae, quarum vitam tranquillam, h. e. curae moerorisque si non prorsus expertem tamen malignis et funestis calamitatibus haud refertam multumque vexatam, primam esse existimamus. Etenim velut arbor, in tuto loco posita, inter „sylvarum honores“ manet, et radicibus sustentata suis, novo quoque

vere novos flores agit, et virentibus ramis diuturnum robur auget, sic calamitatum expers vita in dies quasi crescit, et cum summa in ea sit *δεινότης*, uberrimo longissimoque fructu gaudet. Contra, velut arbor tempestatibus undique exposita, diu multumque lacescens, orba tandem atque debilis radicitus evellitur, ita hominum vita, variis iisdemque gravissimis labefactata doloribus, praematura morte non modo abripitur sed saepenumero in longam et permolestam jacturam trahitur. Cujus enim, etiam optimi viri vita in laetam senectutem abire possit, quum, ut de ista culpa taceam, quam insipientes in senectutem ipsi conferunt, non externa bona, non divitias, non potestatem modo, etsi his quoque frui liceat, sed majora divinae benevolentiae pignora amisit, uxorem carissimam, liberos adolescentes, quorum eruditioni optimam operam dedisset, quos gloriae bene comparatae superstites vidisset! Quis est, qui patriam summis molestiis obrui, longâ tyrannide premi, optimos quosque vitae taedio consumi, amicos et familiares, coevos fere omnes sepeliri, vel sine corporis dolore ferre possit? Quis est, qui roboris sui truncum everti non sentiat, cum paupertas mordet, ignominia pungit, clades subita, quidquid splendoris et vigoris erat, frangit? Quem talia detrimenta non perturbant, quem non aegritudinis languore premunt

et consopiant, quamvis illa, suadente Cicerone, turpis et procul absit a sapientium vita. Inde quod acerba vita juvenum fortissimorum et acerrimorum florem quasi absorbeat, virorum divini Platonis dictum animo versantium: τὸς ἀγαθὸς ἀνδρῶν βίη μὴ μακρῆ ἀλλὰ λαμπρῆ δεῖσθαι, vim et ἐνεργείαν praestringit; inde, quod multi, iidemque optimi praeclarae naturae, diligentiae, assiduitatis, artis, doctrinae opes amittant omnes, ingenti plaga percussi, gravissimam miseriam non aequo, sed strenuo animo ferant, et propter magnitudinem aegritudinis vitam malint

— — tumulis mandare peremptam

Firmo animo et luctum lacrymis finire diurnis quam inter vivos degere, eorumque rebus consulere, facile intelligitur.*) At vero illi, quibus tranquillae et placidae vitae subsidio contigit, ut Pindarus ait:

*) Insignis est funestus hujus rei testis, qui adhuc atrocis fortunae cladem sentit, Martyni-Laguna, vir φιλολογώτατος de antiquitate Graeca et Romana longe meritissimus, qui repentino incendio villae suae prope Zwickaviam in Saxonia sitae triginta annorum emolumenta, h. e. bibliothecam optimis libris rarissimisque MSS. conditam non sibi sed rei literariae comparatam amisit, postea aegritudini fere nimiae sese dedit, et revocari a difficili vitae genere nondum voluit, ut Plauti verba Rud. I. 3.

Quid mihi melius est, quid magis in rem est, quum corpore vitam secludam?

Ita male vivo, atque ita mihi multae in pectore sunt curae exanimales;

Nunc dein' vitae haud parco, perdidisti spem, qua me oblectabam.

in praeclarum Cic. Epistolarum editorem cadere videantur.

Φέρειν γῆρας ἔυθυμον ἐς τελευτὰν

nonne dum senescunt, adolescere, decurso spatio ad carceres a calce revocari, et ineunte quasi vere novos flores carpere videntur beati illi senes, quos Cyro apud Xenophontem comparare licet, qui, ut Cicero refert,*) eo sermone, quem moriens habuit, cum admodum senex esset, negat se unquam sensisse, senectutem suam imbecilliolem factam, quam adolescentia fuisset. His dictis nemo repugnat, cujus senectus procul spectans vitam leniter et prudenter emensam, annis procedit; talis enim senectus praeter corporis valetudinem tres habet comites insignes, quibus tanquam firmissimis subsidiis nititur: animum hilarem et bene compositum, mentem optimarum artium studio imbutam, conscientiam denique rectam, quos eo, quo laudavimus, ordine, paucis persequi fas est.

Insignem senilis aetatis comitem, qui eam jucundam facit, et florentem reddit, et ejus auctoritatem auget, animum esse non modo hilarem sed bene compositum, si tantum negaverint, qui adolescentia sua nunquam recte usi fuerint, et praeter corporis voluptates nihil noverint, quod adolescentiam a senectute secernat, vel potius utramque

*) in Cat. maj. c. IX. quo loco fusius de hac re agitur.

conjungat. Secerni enim et disjungi vita illis, qui eam recte contemplantur, non potest. Adolescentia et senectus communi eodemque arctissimo vinculo tenentur, ut, qui bene adolescere velit, in ipsa adolescentia non senis speciem praese ferre, sed ejus animum induere debeat, qui vero in senectute importunitates, quas dicunt, vincere, plenus facultatis, consilii, rationis, libertatis esse studeat, adolescentiae adminiculis carere neque possit, neque velit. *) Perpetuus enim et mortem superans est nexus ille, quo invicem senectus et adolescentia sese amplectuntur; spontanea est illa vis, neque omnino externis terminata obstaculis, qua animus corporis vincula solvit, majorem tempore atque plagis impedito corpore sese agnoscit, et ejus dolori voluptatem infinitam succedere sentit. Quocirca errant, quos Milonis Crotoniatae „vestigia terrent“ qui, quum robustiores quosdam athletas insigniter pugnare vidisset, illa-crymans de humeris suis (jam debilitatis) dixit: „at hi quidem mortui sunt!“ De humerorum enim et brachiorum impetu manuumque violentia senescente ita conqueri possunt Milones, non vero spectatissimi illi senes, quos hilaris et bene

*) Praeclarum est, quod Augustus senex dixisse perhibetur, cum juvenes moribus legibusque austeris corrigeret, iique tumultuarentur: audite, aiebat, juvenes senem, quem senes juvenem audiverunt.

compositus animus ad extremos vitae dies non solum juvat sed ornat, et a marasmo, quem dicunt, senili, morborum omnium gravissimo atque difficillimo, avertit. Ea est animi vis, quae rationem, divina adspirantem, purgatoris quasi igne collustrat, eumque sursum tollit; ea est, quae, cum multa, teste Flacco, anni venientes secum ferant commoda, animum eo fert, ut semel ipsum clarius intueatur, quam in adolescentia propter nimium ardorem, vanarum rerum studium et intemperantium fieri solet; ea est, quae verae sapientiae locum tenens, et obtreptione carens, cum decore, miti atque nobilitate vigore etiam juvenes allicit, et eos ad omne officii munus instruit; ea est, qua sibi compos, et ab omni vanitate intactus (*ἀδοξαστος*) secum vivit animus *) illorum aemulus, quorum maturior aetas non ignavia, caduca et somniculosa inertia consumitur, sed naturam optimam, tanquam Deum sequens, altius enititur; v. c. Sophoclis ad summam senectutem tragoedias facientis,

*) Quantum est, animum tanquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, cupiditatum omnium secum esse, secumque (ut dicitur) vivere! Ita Cicero in Cat. majori, cujus disputationem valida mente et integro veri studio excepit in „Monologis“ Schleiermacher, quem, a bonis scilicet hominibus, nescio quo pacto, Pharisaeis accenseri audio.

earumque, quotquot ad nos pervenerunt, principem, Oedipum Coloneum tum iudicibus recitantis, quum a filiis quod propter studium rem familiarem (h. e. sacram auri famem, aliaque poetá dignissima negotia, v. c. frumenti venditionem, gallinarum curam, pullulorum educationem etc. etc.) negligeret, quasi desipiens accusatus esset vel Jolai (Euripidei) qui ex imbecilli et decrepito, voti cujusdam vi subito juvenis et ad pugnam validus redigitur*): Simonidis senis choris victoriam reportantis; Agesilai prope finem vitae vigentis hostium terroris, ut de eo dictum sit: *ποίας νεότητος*

*) Non possum, quin huic loco adscribam faceta Plutarchi de Stoicis *παραδοξότερα* (quod male vertunt absurdiora) dicentibus verba (Plut. Opp. Vol. X. p. 368. edit. Reisk):

Ὁ κάκιτος πρῶτῃ, δειλῆς ἄριστος; καὶ καταδαρθῶν ἔμπληκτος, καὶ ἀμαθῆς, καὶ ἄδικος, καὶ ἀκόλαστος, καὶ ναὶ μὰ Δία δοῦλος, καὶ πένης καὶ ἄπορος — ἀνθημερῶν ἀνίσταται καὶ βασιλεύς καὶ πλουσιος καὶ ὄλβιος γεγονῶς, σώφρων τε καὶ δίκαιος καὶ βεβαίος καὶ ἄδοξος, ὧ γενεῖα φύσας, οὐδ' ἤβην ἐν σώματι νέψ καὶ ἀπακῆ, ἀλλ' ἐνάσθενῆ καὶ ἀπαλῆ ψυχῆ νοῦν τέλειον, ἄκραν φρόνησιν ἰσόθεον διάθεσιν, ἀδόξαστον ἐπιστήμην, καὶ ἀμετῶτατων ἕξις ἐσχηκίος κ. τ. χ.

— h. e. e versione Reiskiana: it, qui mane fuit deterrimus, sub vesperam optimus est, et qui somno se dedit stolidus, ineptus, injustus, luxuriosus, imo servus, pauper, inops: ea ipsa die surgit, rex, dives beatusque factus, praetereaque temperans, justus, constans, opinionum, ut quisquam, maxime vacuus, non ille barba aut pubertate, nata in adolescente et tenero corpore — sed in imbecilla teneraque anima, a deo mentem perfectam, extreme probam (mallem: summam) prudentiam, affectionem divinae aequalem, scientiam ab omni opinione purgatam etc.

ἔ κρείττον τὸ ἐκείνη γῆρας ἐφαίνη? —; Nestoris, cujus lingua, ut ait Homerus, melle dulcior fluebat oratio; Augusti, postquam, Suetonio adfirmante, studia liberalia et cupide et laboriosissimo exercuerat, acclamantis brevi ante mortem amicis notissimum illad histrionum: plaudite amici, acta est fabula! —; Ludovici Cornari, nonagenarii, scribentis egregium de hominis natu et morte librum et de se praedicantis: se integro juvenis vigore uti, stomacho non laborare, tempus inter studia, colloquia, peregrinationes, artes absolvere, acrem sibi esse phantasiae vim, tenacem memoriam, firmum judicium, vocem fortem et sonoram; Friderici Magni, Kantii, Klopstockii, Heynii, Wielandii, Goethii in primis nostri, in quibus tanquam germanis hominibus, praeter animum, multis — ut mutatis Ciceronis verbis utar — litteris multam vitam conservatam esse, persuasum habeo.

Hoc enim est certissimum vitae stamen et subsidium, quod senectutem florentem reddit, eamque jucundam facit, pabulum aliquod studii et doctrinae, demetendis fructibus et percipiendis accommodatum. *)

*) Fructus senectutis est ante partorum memoria et copia. Cic. in Cat. maj. cap. XIX.

Qui enim illi sunt, quos saepenumero praemature senescere videmus? — Illi sunt, qui opportunitates, quas vel fortuna vel natura ipsa iis praebet, neque animadvertunt, neque menti excolendae et optimis studiis alendae adhibent, qui adolescentes, e rerum gravissimarum thesauro undique aperto depromere adversantur opes illas dignissimas et suavissimas, quibus in posterum senes non delectari solum, sed sustentari possint, pravis oeconomis et provinciarum administratoribus, futuri temporis rationem non curantibus, prorsus similes; illi sunt, quos „Minerva non e longinquo,“ uti dicunt, salutavit, sed ita jovit, ut possent, modo vellent, ad summam gloriam pervenire, si non omnibus, certe multis placere, artis et doctrinae copia eminere, proveciori etiam aetate laudabile aliquid perficere et suorum commodis saltem consulere, qui vero, adolescentiae immunitatem false interpretantes, nimium sibi confidentes, adulatoriis quibusdam venenis intus corrupti, ignominiosis inertiae ludis auream aetatem conterunt, et perditâ adolescentiâ, in longum mentis soporem — dixerim torporem — cito pede transeunt.

Illi sunt, ut paucis dicam, qui sine assiduo labore et indefesso studio ingenium perfici, iudicium acui, doctrinam augeri, mentem perpoliri arbitrantur, neque ex deper-

ditorum ingeniorum historia (quorum exempla referre odiosum), quid mentem humanam deceat, quid non, apprehendunt, minime sentientes furtim subrepere animo vel taedium illud honorum studiorum tristissimum et foedissimum, quo illiterati homines maxime laborant, vel pinguem quandam laetitiam; doctrinae copiolas in dies minui, mentis flammam exstingui, totumque hominem ad mortem languescere, interdum etiam subito confici. Neque enim habitus prudentiae et doctrinae, qualis fuerat, manet in iis, qui sese nimio otio dederunt, sed ignavia eum paulatim solvit, cum requiratur, si diu velis inter optimos morari, subinde cura aliqua et meditatio, quae mentis facultatem excitet atque purget; si quidem usu ratio splendescit, quo pacto aes nitescit, et qui contra senectutem non pugnat, eum senectute opprimi fas est. *)

Pugnandum vero esse contra senectutem neminem fugit, qui „utile dulci recte miscuit,“ quo modo hominis vita numeris suis si non prorsus absolvatur, tamen omnibus, qua

*) Praeclare Cicero: nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis; nam haec quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, exstinguantur senectute. e. m.

potest, fruatur emolumentis, ipse expertus est, et praeter naturam et fortunam fautricem, animum bene compositum, mentem optimis studiis imbutam, conscientiam denique rectam — et comitem habuit et ducem: illam scilicet, qua nemo carere potest, quem beatis sive florentibus, molliter et jucunde viventibus senibus adnumerare velis. Illa enim conscientia, de qua nobis sermo, senectutis virtutes, paucis a nobis adumbratas — si essent sensu Romanorum imagines, numine suo tuetur, ne laedantur, vel manu impia auferantur; sine illa conscientia, quam Horatius egregie descripsit divino illo carmine, quod grandi passu inchoatur:

Integer vitae, scelerisque purus etc.

nullum, quemvis, clarissimum, beatam senectutem assequi, sine illa neminem, etsi laureatum et honoribus publicis auctum longae vitae neque florem primum, neque fructum ultimum suo jure percipere posse, nostrum quisque recordabitur, cui haec jam dicta, eo, quo poscitur, animo lecta fuerint. Splendeant enim, quotquot valent, senes, cunctis emolumentis, commodo, docto, legibus etiam consentaneo, illustri, et quod multi nostratum in primis desideriiis habent dies noctesque illud exosculantes, honoribus et signis referto vitae tramite: nemo illo gaudet, qui per am-

bage et conscientiae detrimenta senectutem tetigit, vitamque quod si recte secum reputaverit, inanem, neque sibi neque aliis gnaviter impensam esse sentit.

Unus est, qui, cum huic disputatiunculae meae causam dedit, quorsum illa disputata sint, ante omnes agnoscet, et, siquid in ea erratum fuerit, benevolo, uti solet, animo iudicabit.

Tibi enim, optime Glanström, haec quod ad me non satis commodo, uti nosti, quod ad Te opportuno tempore scripta sunt, Tibi conscientiam rectam, quae proba et integra, scelerisque pura vita nititur, mentem optimis studiis imbutam, et doctrina hactenus insigniter auctam, animum bene compositum hilarem, verum, mollem non minus quam sibi constantem, vitam denique, etsi non omnibus, certe gravissimis calamitatibus vacuum contigisse: hoc est, quod grato erga Deum O. M. animo non mihi solum, sed illis obversatur, quos hodierno die Tecum esse, et senis optimi faciem serenam intueri, et suavissimos ejus sermones audire intima junxit familiaritas atque concordia.

Eam, Senex candide, qua flores, valetudinem, sentiendi et agendi vim, comitatem, prudentiam, doctrinam paratissimam, facundiam denique lepide atque egregie dic-

tis ornatam, conservet Tibi, qui dedit et dabit omnia, Deus, quo duce Te per quinquaginta annos religioni christianae, h. e. veritati amicos, probitatis inde natae sodales, itegrae vitae familiares multos conciliavisse et hodie laetamur, et protenus senectute, qualis Tua est, conciliaturum ipsis Pindari verbis:

Φέρειν γῆρας ἔυθυμον ἐς τελευτάν,

tanquam fausto omine precamur.

ESTICA

A-14967

22623